



Melchior ex Hochstadio Danubiano oppido
mortus, à pueris operam literis dedit, et medio
crem literarum sibi cognitionem acquisiuit. Is cum
adoleuisset, Regij fontis monasterium petiit, & Cisterciensem S. Bernardi ordinem aslumpsit. Situm
est illud monasterium in Suevia Cōstantiensis dio-
cēsis, duobus milliaribus supra Giengam oppi-
dum Imperiale, atq̄ tribus à Nordlinga in Brentia-
na ualle. Fundatum erat in honorem Beatae uirgi-
nis Mariæ, & S. Bernhardi, anno millesimo trecen-
tesimo tertio, ab Alberto Imperatore, Rhodolpho
Habsburgij filio, & Elisabetha eius uxore. Tum e-
tiam Heinricus de Salē uel Salomonis villa aslum-
ptus, primus ibi abbas constitutus. In eo loco cum Melchior aliquandiu mo-
destè uixisset, anno demum 1513 abbas decimus septimus electus est. Eam fun-
ctionem is probè administravit, literarum studia promouit, monasterium
suum restaurauit, & ustrinas cœnobio uicinas ad Brentianum fontem con-
struxit, in quibus miro labore & artificio ferreæ fornaces parari solent. Cum
hoc modo magna dexteritate rebus ibi præcesset, Leo pontifex ei pontificialia
ornamenta concessit, atq̄ ipsum primū eius loci insulatum abbatem cōstituit.
Tandem is anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo trigesimo nono
senex obiit, atq̄ in templi choro honorificè sepultus fuit, cum tali memora-
bili Epigrammate.